# QVÆSTIO MEDICA
## CARDINALITIIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS
### IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS III. MARTII, MAGISTRO STEPHANO DE LA FONT DOCTORE MEDICO ET PROFESSORE REGIO MODERATORE.

*An febrium intermittentium paroxysmis phlebotomia?*

EX duplici calore perpetuum in homine dissidium fouente & morbus emergit & sanitas: Innatus naturæ amicus & salutaris omnia suscitat & conseruat, ascititius vitæ inimicus & pestilens eadem depopulatur ac destruit: Ille actionum omnium integrarum; hic læsarum author est: Ille alterat, coquit, digerit; hic adurit, liquat, corrumpit: Ille hyeme & pueris maior, æstate & iuuenibus minor; hic omninò contra: Ille partibus affectis subuenit; hic officit & aduersatur, varia producens in vnaquaque symptomata, eundem tamen semper effectum nempè intemperiem præcalidam quæ in cerebro phrenitidem à diaphragmate lethalem, in faucibus anginam cum tumore externo bonam, in pulmone peripneumoniam à sputo flauo & liberali tutam, à purulento funestam, in pleura pleuritidem, cum lateris dolore non semper confundendam, in corde febrem accendit & profert.

INTER omnes passiones febris frequentiùs & crudeliùs corpus humanum exercet, digna potiùs nomine Dæmonis quàm Deæ, & sacrificio quàm fano, vtpote cui nusquam satis vitæ nostræ primordijs solitarium inferre duellum, sed omnibus fere symptomatis impudenter & ad ægri perniciem sese immiscere. Hæc non in partem ignobilem, sed omnium præcipuam & principem primo insultu insurgit, constituens pro triplici cordis compositione & materia triplicem tyrannidem & differentiam, ex spirituosa ephemeram, ex humorali putridam, ex solida hecticam, quæ licet cæteris rariùs & mitiùs infestare videatur, ea tamen febris nomine & insignibus dignior existit.

HECTICÆ & ephemeræ assiduo pede, putridæ modò assiduo, modò intercalari progrediuntur; Ephemeræ in putridas, putridæ in hecticas sæpè transeunt: omnes solitariæ quandoque obseruantur; putridæ tamen continuæ vt plurimùm comitatæ incedunt, vnde symptomaticæ essentialibus frequentiores; Interpolatæ putredinis semper asseclæ qualibet tempestate insidiantur, tertianæ vere & æstate magis, quartanæ autumno & hyeme, quotidianæ ferè nusquam, ad quas vulgus & imperiti tertianas duplices, & triplices quartanas quotidie referunt, Andabatarúmque more remedia administrant.

OMNES à causa procatartica proficisci possunt, ephemeræ sæpe, hecticæ rarissimè, aliquando putridæ, quæ internam obstructionem modò in vasis, modò extra vasa cespitantem consequũtur. Tres illæ species triplici distingũtur signo, calore, pulsu, & vrina. Diariæ calorem habent mitem, pulsus diastolem systole crebriorem, vrinam naturali fere similem. Putridæ calorem acrem, pulsum vehementem, systolémque diastole frequentiorem, vrinam crudam & flammeam. Hecticæ calorem obtusum, pulsum paruum & debilem, vrinam subpinguem. Quæcúmque intermittunt metu vacant; quæ non intermittunt earum vt acutorum omnium morborum incertæ sunt prædictiones.

METHODVS curandarum febrium rationali medico non est difficilis: quid enim opus tanta remediorum farragine, vbi duo sufficiunt alteratio & tempestiua euacuatio? Ephemeræ satis est magna ex parte balneum, aut frigida non iniecta, sed ingesta, non putealis vt Franciscana & sanctæ Genouefæ, sed cisternina aut fontana pura. Hecticæ incipienti eadem prosunt, confirmatæ & tabe confectæ omnia sunt irrita. Putridam synochũ essentialem & symptomaticam omnem sola phlebotomia soluit: implicitæ cum prauis & biliosis humoribus prodest leuis purgatio venæ sectioni superaddita, è cassia aut senna pari vel impari die facta. Intermittentium materia benignis catharticis etiam cum alimento assumptis adiuuatur: sed focus soli phlebotomiæ cedit, quæ si in febrium continuarum exacerbationibus fœliciter quotidiè celebratur, ad quid opprimentibus intermittentium paroxysmis eandem denegabit peritus artifex?

*Ergo intermittentium paroxysmis phlebotomia.*



Propugnabat ROBERTVS TVLLOVE, Carnuteus. Anno 1616.